

De nuce vomica : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Guilelmus Pritzkow.

Contributors

Pritzkow, Friedrich Wilhelm, 1805-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1831.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sk8w3pqy>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
NUCE VOMICA.

~~~~~

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA  
FRIDERICA GUILIELMA  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

*DIE XXVIII. M. MARTII A. MDCCCXXXI.*

H. L. Q. S.

*PALAM DEFENDET*

AUCTOR

GUILELMUS PRITZKOW,

BEROLINENSIS.

~~~~~

OPPONENTIBUS:

J. ELWANGER, REFERENDAR.

J. WOHL, MED. ET CHIR. DR.

H. SIMONSON, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

V I R O

ILLUSTRISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

E. O S A N N,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINAR. IN UNIVERSITATE LITERARUM FRIDER.-GUIL. ET IN ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, SOCIETATUM COMPLURIUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO
HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Apud majores nostros mos, quod doctoris gradum appetentes opusculum, quo ingenium studiaque probarent, quaecumque palam edebant, ut tum res sese habebat, erat praestantissimus. Nostro vero tempore, campo medicinae in infinitum amplificato, anni academici vix ad postulatum discendum, nedum ad novum inveniendum sive inventum excolendum sufficiunt. Non quo aliquid, quod typis excudatur, dignum me conscripsisse credam; sed quia legi academicae obedire me oportet, haecce igitur primordia, quibus idcirco lector benevole indulgeas, literis mandavi. Postquam pro immensa

rerum copia, de qua dicerem, diu haesitavi,
felix nucis vomicae in aegrotum, tabe
dorsali laborantem, viro Illustrissimo Osann
duce, a me observatum effectus ansam dedit,
ut ad dissertationem conscribendam, quae de
illo semine legi, congesserim, atque de aegroto,
praemissa ejus morbi historia, observationes
meas retulerim.

§. 1.

Nuces Vomicae *) (Krähenaugen, Brechnüsse) semina sunt arboris per longum tempus incognitae, quae in India, Cochinchina, Ceylano, Malabaria, Coromandel habitat. Quae plantarum species a Linnaeo Strygnos Nux Vomica appellata in classi pentandria monogynia adnumeratur generi Strychnos, quod Jussieu Apocyneis affine esse elicit, Richard ad Apocyneas ipsas refert, Decandolle, Link aliique familiam propriam, Strychnaceas putant. Truncus arboris magnitudine mediocri est crassus, nodosus, erectus, ramis oppositis,

*) H. de Reede hort. Malabaric. Amstelodam. 1678. Vol. 1. p. 67. tabul. 37. — Loureiro Flor. Cochinchiens. ed. Willdenow. Tom. I. p. 154. — Linnaei genera plant. Edit. VIII. Vindobon. 1791. Vol. I. p. 187. — Ejusdem system. vegetabil. Curantib. J. J. Roemer et J. A. Schultes. Stulgard, 1819. Vol. IV. p. 546. — A. Z. de Jussieu gener. plantar. secund. ordin. disposit. Paris. 1791. p. 166. — Fr. Gotth. Hayne getr. Darstell. u. Beschreib. der in der Arzneikunde gebräuchlichen Gewächse. Berl. 1805. Vol. I. p. 67. tab. 37. — K. Sprengel Uebersicht des Gewächsreiches II. Abth. p. 496. — J. C. Cassel Versuch über die natürlichen Familien der Pflanzen. Berl. 1820. — Gaertner de fructibus et seminibus plantarum. Tab. 179. Fig. 7. — A. Richard botanique médicale. Paris 1823. Tom. I. p. 323.

sparsis, longis, scandentibus, flexuosis, irregularibus, cortice cinereo et glabro detectis. Folia sunt opposita, ovata, petiolata, obtusa, integerrima, laevia, trinervea - quintuplinervea; stipulae desunt. Flores pallidae, minimae, in ramorum apicibus tamquam parvi corymbi apparentes; calix persistens, quinquedentatus; corolla parva, calice duplo longior, tubuloso - ventricosa; stilus piliformis, stigma obtusum, stamina brevissima inter corollae lacinias. Fructus est bacca globosa, fusco-rubra, cortice lignoso fragilique vestita, glabra, unilocularis, magnitudine aurantii, in cujus pulpa insunt duo-quinque semina (nucis vulgo) orbiculata, magnitudine circiter pollicis in diametro, depressa, in uno latere aliquantulum concava, in altero convexa, umbilicata, villis cinereo-argenteis, splendentibus et radiantibus obsita, duritie telae corneae, sapore amarissimo.

§. 2.

Quamvis semper summi fuerit momenti apud medicos, cujusque medicaminis partes eas, de quibus imprimis dependet ejus effectus, cognoscere; recentiori tamen tempore, multitudine remediorum crescente, ea, quibus carere possimus, ab illis, quibus insit aliquid proprium, secerni, maxime videbatur necessarium. Itaque, etiamsi eorum opinioni, qui naturales partium conjunctiones non respicientes ex elementis chemicis fere solis medicamentorum effectus constituent, non faveamus, quia unoquoque paene processu chemico corporum, praecipue organicorum, elementa non solum ex conjunctione primitiva eri-

aiuntur, et alio modo et ad alias rationes conjunguntur, sed etiam nova effectu proprio praedita procreantur; libentissime tamen concedamus, chemicorum recensum, qui magnam chemiae organicae dederunt operam, explorationibus, ex pluribus remediis jam elementa, quae, iisdem virtutibus instructa ceterisque materiis in quibusdam casibus noxiis liberata, maxima cum utilitate in morbis adhibemus, esse segregata. Sed quum ob ingentem medicamentorum copiam medici et chemici usitatissima et efficacissima, quae accuratius disquirantur, dignissima habuerint, mulae nucis vomicae, sua vi propria et venenata omnis cognitae, exstant analyses, quarum eam solam, quam Desportes*) promulgavit, proferamus. Materiae, in quas ab eo dissolvitur, sunt:

1. Materia narcotica odoris injucundi.
2. Mucus.
3. Saccharum.
4. Materia propria amara extractiva.
5. - vegeto-animalis.
6. Resina solida amara.
7. - fusca, tenax, acris.
8. Calcaria malica acidula.
9. Cera.
10. Materia fibrina.

At vero hunc etiamtum strychnium, cui nuxvomica vehementem debet efficaciam, praeteriit.

*) Chemische Untersuchung der Krähenaugen v. Heinrich Desportes, aus dem Bulletin de pharmacie, in Tromsdorff's Journal XVIII, 2, 261.

Junghans*) quidem jam experimentis, e quibus simul ratio chemiae illius temporis imperfecta intelligitur, sal essenziale ex ea educere studebat, nullum autem se obtinuisse confitetur. Novissimo demum tempore Pelletier**) et Caventou, postquam in aliis plantis alkalia vegetabilia detexerunt, contigit, ut etiam in pluribus generis Strychnos speciebus, Ignatia amara, Strychno colobrina, Strychno nuce vomica, denique in veneno Javanensi (Upas tieuté) reperirent basin alkalinam. Honori Vauquelin, qui primus corpus alkalinum vegetabile in Daphni Mezereo invenerat, eam Vauqueline voluerunt appellare. Sed academiae commissariis opinatis „qu'on nom chéri ne pouvait être appliqué à un principe malfaisant“ morem gerentes Strychnine,***) quia in toto genere Strychnos sit principium efficax, vocarunt. Magendie nomen Tétaïne, quod, ut la Morphine et l'Emetine characterem physiologicum denotet, melius placet. Illi viri praeterea a strychnio acidum proprium in speciebus generis Strychnos cum

*) Junghans de Nucis Vomicae et corticis Hippocastani virtute medica. Halae 1740.

**) Pelletier et Caventou Mémoire sur un nouvel Alkali végétal (la Strychnine) trouvé dans la fève de Saint-Ignace, la noix vomique etc. — Annales de chimie et de physique. Paris 1819. Tom. X. p. 142 cet.

***) Gilberts Annalen der Physik. B. 63. p. 285. — Journal der Pharmacie 1822. p. 305 et 401. — Buchners Repertorium der Pharmacie B. 5. p. 153. B. 7. p. 169 et 225. — Schweigers Journal der Chemie. B. 25. p. 405. B. 28. p. 32. — Ejusd. Neues Journal B. 6. p. 369. — J. Jac. Berzelius Lehrbuch der Chemie, übers. v. F. Woehler. B. 3. Abtheil. 1. p. 259.

o conjunctum ab iisque nomine inditum Igasurici, quo Indici fabam St. Ignatii solent significare, et anno sequente aliam basin alkalinam, Brucinium appararunt.

Utrumque corpus alkalinum secundum Wittstock hac praestantissima ratione obtinetur: Noces vomicae mel, ut facilius in pulverem possint redigi, cum spiritu frumenti fervefactae exsiccantur. Bis vel ter iterum spiritu frumenti iis tractatis, tincturae deinde destillationi subjiciuntur, et quod remanet, aqua, ad resinam pinguedinemque sejungendam, diluitur. Tum liquor pellucidus commiscetur cum aqua calcaria, quo efficitur, ut calcaria strychnica, strychnium bruciniumque praecipitentur. Quod praecipitatum ad sal alcalarium removendum cum aqua permixtum, expressum, siccatum, spiritu vini alcoholisati iterum extrahitur, quo destillato, strychnium, brucinio in fluido remanente, in crystallos sapone calcareo involutos discernitur. Crystallis coctione cum acido nitrico distillatissimo ab hoc separatis, strychnium nitricum in crystallos abit. Acidum nitricum dein ammonio caustico saturatur, quo fit, ut strychnium praecipitetur, quod aqua ablutum et in spiritu vini solutum sensim redigitur in crystallos. Nunc etiam fluido, quod brucinium continet, acidum aliquod, donec est saturatum, additur, et inter terendum, ne crystalli formentur, evaporatur. Sal brucinii in pulveris forma effectum, deinde aqua extractum inter lintea, ut a materia colorante liberetur, exprimitur, et ammonio caustico decomponitur. Tum brucinium praecipitatum, in spiritu vini solutum, in crystallos redigitur.

Strychnium methodo descripta in crystallos redactum format prismata alba, minima, quadrilatera, aciformia, sine odore, sed sapore amarissimo, postea aliquantum metallico, reactione alkalina; in aqua et aethere difficillime solvitur, facilius in spiritu vini et oleis volatilibus, cum acidis salia neutralia efficiens. Secundum Pelletier et Dumas*) componitur 78,22 carbonei, 6,54 hydrogenii, 8,92 nitrogenii, 6,38 oxygenii. — Brucinium abit in crystallos, qui ejus sunt hydratum, et prismata pellucida, oblique-quadrilatera ostendunt, sapore peramaro, in aqua quidem difficile, sed facilius strychnio, in spiritu vini facillime solubiles. Analysis chemica id sejunxit in 75,04 carbogenii, 6,52 hydrogenii, 7,22 nitrogenii, 11,21 oxygenii.

§. 3.

Nucem vomicam animalibus, praecipue iis, quae oculis nascuntur clausis, venenum celeriter lethiferum esse, jam dudum inter omnes constabat physiologos, minus recte autem, hominibus eam esse non noxiam, judicabant. Verumtamen casus multi, in quibus etiam hominibus mortem attulerunt haec semina, opinionem illam tanquam falsam modo evellerunt, et medicos et physiologos, ut eorum effectus in corpus animale accuratius explorarent, appulerunt. Quaedam igitur, quae huc pertinent, proferamus.

*) Recherches sur la composition élémentaire et sur quelques propriétés caractéristiques des bases salifiables organiques, par M. M. Dumas et Pelletier. (Bull. phil. Mars 1824.)

Florman*) auctore uncia dimidia nucis vomicae equo vitam ademit, drachmae duae alii equo symptomata periculosa attulerunt. Drachma una cum dimidia capellae pulsum ac respirationem frequentiores reddidit; labia quidem distorsit, sed post horam jam iterum voravit; diarrhoea postero die secuta sine medicamentis cessit. Drachmis duabus eidem capellae matis, singultus exstitit et musculi moti sunt spasmis; postero die nihil nisi diarrhoea remansit. — Ex his illisque ab ipso institutis experimentis haec proponuntur symptomata: Primum respiratio accelerata, pulsus frequens, initio saepe plenus, postea intermittens, extremitates debiles, convulsiones epilepsiae simillimae et respirationis musculos praecipue afficientes, quae remittunt, animalium motibus autem revocantur; pupillae dilatatio alia in aliis animalibus, in noctua adeo coarctata. Sanguis post mortem crassus et obscurus neque liquidus, ut Lossius et Weffer invenerunt; gastritis et enteritis exiguae.

Desportes*) cani drachmam dimidiam nucis vomicae melli admixtam ad edendum dedit. Post horam, convulsionibus exortis in partibus posterioribus, opisthotono affectus aliquoties exsultavit, quo facto omnes relaxati sunt musculi. Inter paroxysmum secundum spasmi transierunt in tetanum universalem, ut cani contremescenti lingua violacea ex ore

*) A. H. Florman resp. N. Mortinsson, diss. de vi veneneta Nucis Vomicae nov. exper. probata. Lund. 1798.

**) Eug. Henr. Desportes thèses de la noix vomique. Paris 1808.

deponderet et contractiones spasticae interromperent respirationem. In accessibus mortis antecedentibus respiratio, labiorum linguaeque colore naturali continuata est. Inter omnes tamen accessus canem, quinto diremtum, sensuum usus non defecit; vehementia autem symptomatum tactu aut strepitu aliquo augebatur. Post mortem Desportes quidquam inflammationis, neque in respirationis neque in digestionis organis observavit, cerebri ventriculi modopius sanguinis quam in statu normali continere videbantur; cor, imprimis auricula dextra, sanguine nigricante ac coagulato erat impletum. — Galina infra duodeviginti dies, drachmis duodeviginti pulveris nucis vomicae consumptis, paululum modo macescens, ultima demum drachmarum fere trium ingestione necata est. — Drachma dimidia pulveris nucis vomicae a Sidren*) cani data convulsiones, pupillae dilationem, denique mortem, grana sex vertiginem, grana tria extracti aquosi symptomata periculosa, non mortem effecerunt; grana sex extr. spirituosum post horas quatuor canem magnum occiderunt.

A Magendie et Delille**) in canis peritoneum duodecim granis extr. aquos. nuc. vomic. injectis, post temporis momentum tetani incessu, incisione medullae oblongatae, quippe quum duo adhuc morti praecurrerent, non sublato, arreptus est. —

*) Alm. praes. J. Sidren diss. de nuce vomic. Ups. 1780.

**) Orfila allgem. Toxikologie. Aus d. Franz. von Hermhstaedt, Berl. 1818. Tom. III. p. 372.

Sex grana ejusdem extr. in ligni acuti fine exsiccata in canis musculos femoris immissa, post horam dimidiam tetanum, viginti paroxismis praeterlapsis, mortem attulerunt. — Magendie, granum unum extr. spirituosum aliquo corporis loco absorptum aut cum cibis in ventriculum inductum canem magnitudine modica inter tetani paroxismos perseverantes, suppressione respirationis, cujus est eventus asphyxia, insequente, celeriter necare, praeterea animadvertit. Quotiescunque animal attingitur inter paroxysmum, quasi ictu electrico concutitur. Quae symptomata, medulla spinali in parte suprema perscissa, capite ab illo a trunco omnino separato, non ablata paulisper permanent. Neque ulla laesio organica, quae mortis causam indicet, postea reperitur.

Symptomata strychnio effecta ab iis quidem, quae nux vomica in substantia ejusque extracta giunt, non abhorrent; sed ad illius alkali energiam multo majorem eruendam, experimentorum aliquot brevem faciamus mentionem.

Pelletier et Caventou, strychnio ad vim in corpus animale cognoscendam ab ipsis primo tentato, observarunt: granum dimidium strychnii puri pharyngi illatum inter spasmos post partem horae sexuum cuniculum occidere; strychnii nitrici partem quartam grani, ad tetanum post duo, ad exitum post tria temporis momenta, cuniculo afferendum sufficere; grani parte quarta strychnii puri et grans sex morphii in acido nitrico solutis cuniculoque datis, tetanum quidem apparere.

Cramer*) strychnio puro ab ipso parato et in alcohol et in acido muriatico soluto usus expertus est: duodecim guttas solutionis spirituosae post quinque momenta columbam, guttas octo intestino recto injectas post quatuor horas canem parvum, tres guttas strychnii in acido muriatico soluti oculis applicatas post tres horas felem interfecisse; cuniculum, qui strychnii partem octavam grani, quamquam cum granis sex morphii commixtam, assumserit, spasmis post quinque momenta ingressis, mortem tamen obiisse. Obductione modo post mortem facta, sanguinem adhuc liquidum, in cerebro autem coagulatum, ventriculum, ut Wepfer et Consprug, rubefactum invenit.

Sandras*), feli robustae ter parte quarta grani strychnii data, nihil nisi spumam ante os per septem momenta in conspectum venisse annotat; tum autem accessisse convulsiones et tetanum; animal fuisse rigidum, dorsum convexum, ventrem propter musculos abdominis contractos durum, respirationem interruptam aut stertentem, visum, auditum, tactum inter paroxismos, non, ut Wepfer contendit, inter intermissionem evanuisse. Obductio ventriculum rugosum ac fluido tenaci plenum neque quidquam inflammationis, uisi colorem subrubrum substantiae cinereae medullae oblongatae, ostendit.

*) Theoph. Cramer diss. inaugural. de strychnii vi ac efficacia in corpus animale. Bonnae 1820.

**) Journal de Médecin et des sciences accessoires. Paris 1830, Mai.

Brucinium in corpus animale eundem quem strychnium exhibere effectum, Magendie et Andral*) testantur, quae tantum ratione quantitativa inter se discrepare dicunt, ita ut sex partes brucinii partem unam strychnii aequent. Quam etiam ob rem granis demum quatuor illius alkali cuniculum esse necatum, atque canem robustum, tetani accessibus vehementissimis solum correptum, non esse mortuum.

Quibus physiologorum de viribus, quas in animalia habet nux vomica, experimentis, quosdam casus de ejus vi hominibus mortifera a medicis observatos addere, non alienum mihi videtur. — Exemplis hominum ejus abusu interfectorum jam a Tillaeco**), Matthiolo***), Wiel****), Murray†), Fr. Hoffmann††) narratis etiam recentioris temporis illuria accedunt. Consprug†††) puellam adultam ac robustam, drachmis duabus nucum vomicarum rasparum devoratis, post horam dimidiam doloribus coelicis maxime accrescentibus, convulsionibus, opisthono infra momentum pluries redeunte, comprehensam, horis duabus interjectis, morti narrat succu-

*) Magendie Journal de physiologie. Juillet 1823.

**) Tillaeus diss. de febr. intermitt. curatione, Ups.

***) Matthiolus comment. IV. c. 23.

****) Wiel observat. de usu nucis vomicae etc. Vimb. 1771.

†) Murray appar. medic.

††) Fr. Hoffmann Med. Rat. syst. T. II. p. 285.

†††) Hufel, Journ. Bd. 4. St. 3. p. 59.

buisse. Sectione tum facta, ventrem inflatum, manus spasmis conclusas, labia caerulea, ventriculum inflammatum, in pylori regione fere gangraenescentem fuisse. — Ollier*) refert, feminam hora dimidia ante fruitam drachmis tribus nucum vomicarum quietam, doloribus liberam, pulsu regulari se reperisse; post sextam horae partem convulsionibus cum totius corporis rigore connexis cruciatam, inter accessum quartum quasi quadam asphyxiae ratione e vita excessisse; obductionem corporis, quod dies quatuor hunc retinuerit rigorem, die quinto confectam, piam matrem sanguine impletam, in ventriculis cerebri unciam fluidi aquosi, in thorace serum cruentum, cor vacuum laxumque, in pariete ventriculi interno maculam magnam et rubram prodidisse.

§. 4.

De causa, qua mors efficiatur, scriptores, modo hoc modo illo ex obductionibus prodeunte, minime consentientes invenimus. Wepfer**), Hillefeld***), Consprug, qui gastritidem animadverterant, hanc judicant esse causam. Florman mortem, convulsionibus vehementissimis irritabilitatem conficientibus et consumentibus, debilitate universali putat afferri. Cramer alia animalia, in quorum encephalo sanguinis coagula reperit, apoplexia, alia completa

*) Ollier Med. repository. Jun. 1823. p. 448.

**) Wepfer Cicutae aquatic. hist. cet. Basil. 1679.

***) Hillefeld diss. sist. experimenta circa venena.

confectione paralytica virium, quae irritabilitatem nimis excitatam secuta respirationem sustulerit, dicit interfici. Lossius*), Murray, Segalas**) directo in nervos impetu quasi ictu electrico nucem vomicam necare contendunt. Plerique autem e. g. Desportes, Magendie, Delille, Orfila, Ollier cet. mortem tetano perdurante, qui respirationem immobilitate thoracis impediat, asphyxia effici, pro certo habent. Quorum scriptorum opinioni quodam experimento ab ipso instituto innisus contradicit Sandras; si qua enim ratione respiratio, capite a trunco celeriter separato, artificiose continuetur, aliquod tempus animal vitam aperte retinere quieteque mori; sin autem, iisdem factis, simul nonnihil strychnii in tracheam inspergatur, aliud animal, quod vitae reliquum sit, inter convulsiones vehementissimas exhalare. Qua ex re sequi, ut strychnium neque paralysis musculorum respiratione fungentium neque cerebri affectionibus occidat, sed in medullam spinalem solam vim suam exerceat. Inflammationem pontis Varolii Grimaud***) quidem in homine nucis vomicae usu perempto vidisse vult; sed quum praeterea nullum ejusmodi extet exemplum, rem in dubium vocare liceat. At vero aliter res sese habet, quod ventriculi inflammationes attinet. Permulti enim gastritidem exquisitam neque pauci ventriculum certe

*) Lossius diss. de nuce vomica. Vitemb. 1683.

**) Magendie Journal de physiologie experimental. t. 1822.

***) v. Froriep's Notizen, Bd. 9. N. 189. S. 208.

maculis rubris distinctum, et Consprug etiam in corpore mulieris, apud quam vivam omnia aderant gastritidis symptomata, gangraenam perfectam observarunt. Itaque facere non possumus, quin, nucem vomicam irritationem ventriculi topicam, nonnunquam in inflammationem mortiferam transeuntem, efficere, concedamus. Plurimis autem in casibus haud dubie mortem, cui animalia, priusquam gastritis exculta esse possit, celerrime interdum succumbunt, ex alia causa interpretemur, necesse est; partim, quia saepissime ne vestigia quidem inflammationis, sectione facta, reperiuntur, partim, quia etiam mors, veneno omnino in ventriculum non illato, sed cui-cunque alii loco corporis e. g. vulneri applicato, celeriter sequitur. Quamvis jam negari nequeat, difficultates hac in re obvias interdum vix expediri posse, nobis tamen propriam nucis vomicae vim tetani procreandi respicientibus, ex omnibus opinionibus illi a Magendie propositae et a plerisque probatae, plurimis in casibus maximam esse attribuendam fidem, est confitendum. Nam, etiamsi Sandras eam argumentis, quae gravissima certissimaque videantur, impugnare studet, experimenti tantopere compositi tamen infirmam opinor auctoritatem.

§. 5.

Experimentorum, de quibus diximus, respectu, veneni in corpus animale effectibus, qualicunque in forma eo utaris, eadem proferri symptomata, cognoscimus; quorum tamen energiam aut minorem aut majorem, prout strychnium, cui vim debet, materiis

alienis obductum, vel purissimum adhibetur, conspicimus. Neque hanc energiam minorem strychnii cum aliis materiis cohaerentis solum ab harum quantitate, sed etiam a cohaesione cum strychnio dependere, Cramer, strychnium purum graviorem nuce vomica in pulverem redacta eandemque strychnii copiam continente effectum praestare, asserens contendit, quippe quum partes crudae ejus vim in nuce vomica magis impediunt, quam adjuvent. Prae strychnio salia strychnica, quia ut salia morphii in succis gastricis facilius solvantur, celeritate eventus et potentia excellere, Pelletier, Magendie, Cramer confitentur. Quibus etiam auctoribus nullum corpus extat, quod, conjunctione aliqua chemica cum strychnio inita, ejus effectus mortiferos tollat. Antidota igitur sunt, quae aut venenum evacuent e. g. opium ejusque principium efficax, morphium. Hoc de remedio posteriore dictum eo probatur, quod quarta pars grani strychnii et grana sex morphii in acido acetico soluta nihil incommodi cuniculo exhibuerunt, atque Antonius de Heide viro, ligno colobrinum assumpto; artuum tremore laboranti infra aliquot horas una mixturae hypnoticae dosi perfectam reddidit sanitatem, et toxicationis signa apud homines, quorum in cutem ab epidermide denudatam strychnium erat immissum, simulac Richter grana nonnulla morphii acetici vulneri inspersit, celeriter supprimebantur.

Num jam vim immediate exercent venenum in nervos, an antea resorbeatur inque vasa inferatur necesse sit, etiam nunc sub judice lis est. Quo fe-

mori cujusdam animalis vulnerato cum trunco nervo tantum cohaerenti applicato, nullum effectum; toxicationis signa autem, per vas femore connexo cum trunco, erumpere, Magendie*) viderat, hacque ex re, vasa neque nervos ad veneni vim materiamque recipiendam esse, concludit. Quamquam multi, ut Orfila, Home, Cramer, Richter hanc secuti sunt sententiam, neque, quin materias, vasis mediantibus, totum attingentes systema nervosum vim multo majorem expedire oporteat, quam in ventriculum, ubi ad minorem nervorum partem perveniunt, inductas, dubitare nobis non licet; Wepfer tamen, nuce vomica ventriculo illata, priusquam in sanguinis circulationem transierit, symptomata, quae nonnisi immediato nervorum tactu effecta esse possint, celerrime accidisse narrat. Quam opinionem a Lossio, Murray, Hubbard, Vogt**), Deformon***), qui praeterea lienis contractionem strychnio usus, animadvertisse vult, probatam, Segalas†), strychnium quasi ictu electrico in nervos existimans influere, tam gravibus contra Magendie defendit causis, ut, ad vires propagandas resorptionem materiae per vasa necessariam non esse, persuasum habeamus.

At vero in eo omnes hoc tempore, sive illi sive huic insistent opinioni, consentiunt, systema nervosum praecipue affici nuce vomica. Quae quidem,

*) Philosophical Transact. 1811. p. 178. 1812. p. 207.

**) Lehrbuch der Pharmakodynamik. B. 1. p. 120.

***) Nouvelle Bibliotheque medicale. Mars 1824.

†) Magendie Journ. de physiologie. Oct. 1822.

ut narcotica, quibuscum quandam habet similitudinem, propriam ejus vitalitatem offendit; neque tamen unquam, quum multo rarius somnus, vertigo, sopor, animi perturbationes eliciantur, quantopere illa, sensorium commune laedit. In medullam spinalem, cerebro integro, nucem vomicam vim exhibere specificam, atque eo musculos medullae spinalis nervis instructos contrahi et spasmos, etiam capite a trunco absciso, non vero, medulla spinali aliqua ratione deleta, animal invadere, ante viginti circiter annos pro observationibus suis Maggendi^{*)} proposuit. Qualem autem exhibet vim? Kluyckens nucem vomicam injuria narcoticis deprimentibus adnumerans, medullam spinalem nequaquam excitare, sed potius ejus inflammationem oppugnare: plerique alii in ea statum quendam incitationis et congestionis illam gignere judicant. Ceteroquin verbo incitationis solo hujus remedii effectus, quum ab aliis incitamentis in eo imprimis differat, quod ejus vis proprium actionis nervorum realis pervertendae conamen simul continet, non plane esse explicatos, nos non praeterit.

Haud dubie nucis vomicae, quocirca jam dudum magna cum utilitate in morbis quibusdam abdominalibus a medicis usurpatae, vis non solum nervorum medullae spinalis, sed etiam gangliorum ad systema pertinet. Plerique autem in his morbis ef-

^{*)} Examen de l'action de quelques végétaux sur la moëlle épinière. Paris 1809.

fectus non recte interpretari solebant, ut Junghans, nucem vomicam cum amaris compositam in hypochondria, hysteria, febribus intermittentibus, propterea quod irriteret fibras musculares nerveasque, sanguinem commoveat, bilis vires contineat, utilem se praebere, ratus. Etiam nunc, quamquam, quomodo comprehendatur, nondum satis perspicimus, simili ratione, qua medullam spinalem, systema gangliorum affici, maxime ad veritatem accedere intelligimus. Constat certe, organorum abdominalium secretiones fruge illa leniter augeri penitusque commutari.

Opinionem nonnullorum, nucem vomicam, quod attinet effectum, opii similem esse, Junghans, hoc irritare ob acre in ejus mixtione contentum simul vero vim nervorum ob phlogiston frangere, illam utpote volatili principio destitutam, sola irritatione hujusque sequelis se manifestare, dicens, jam refutare stndet. Atque, etiamsi nucis vomicae nonnulla cum opio ceterisque narcoticis sunt communia, ex eo tamen, quod symptomata e. g. spasmos illa allatos tollit, nucis vomicae et opii effectus primarios directa esse contrarios, perspicuum est. Illa, coenaesthesin animumque semper injucunde offendens, excitat, hoc, phantasiam commovens jucundisque occupans imaginibus, mitigat spasmos, illa nunquam, hoc saepissime ebrietatem propriam cet. efficit.

Symptomata *) nuce vomica utendo observari solita, quum ex effectu primario facile colligi possint,

*) cf. Hahnemann reine Arzneimittellehre. Th. 1. p. 201.

atum vel in antecedentibus jam attacta vel in sequen-
tibus adhuc commemoranda sint, hoc loco breviter
tantum adumbremus. Secretiones cutis renumque
adhaerentiae, nec non digestionis perturbatae signa, ap-
petentia ciborum diminuta, ructus rancidi, nausea
parvis; artuum gravitas debilitasque, affectiones
animi tristes, magna organorum sensuum incitabili-
tas, anxietas, deinde artuum tremor, paroxysmi con-
vulsionum, qui tactu corroborantur, pulsus ac respi-
ratio frequentes postea rariores debilesque, duode-
cim circiter horis interjectis, secretiones et excretio-
nes accumulatae, saepe prurigo, rarius exanthema
quoddam majoribus; tetani denique accessus, qui,
sensim remissionibus brevioribus factis, perseve-
rantes vitam, respiratione plane impedita, quodam
asphyxiae modo postremum auferunt, erumpentes
maximis dosibus adhibitis, in observationem
veniunt.

§. 6.

Morbi hujus remedii usus postulantes tales im-
primis, qui originem e vitiis medullae spinalis vel
gangliorum ducant, simulque horum systematum qua-
dam diminuta et alienata sensibilitate gignantur, sint
esse necesse, ex iis, quae de ejus vi tradidimus, li-
quet. Itaque praesertim, quum, ut de ejus utilitate
in affectionibus paralyticis paululum accuratius loqua-
mur, nobis sit propositum: ceteras morborum singu-
las formas obiter perlustremus.

Systematis gangliorum abnormitates, quae secre-
tionibus excretionibusque perturbatis nec non spasmodicis
abdominalibus aperiuntur, quibusdam in casibus fe-

liciter removeri experientiam secuti plurimi statuunt. Magnam propterea in dysenteria, quo in morbo Hagström *) et Odhelius **) primi ea usi esse videntur, atque ab Hufeland et Fischer ***), quibus in dysenteria epidemica aliis omnibus medicamentis meliorem se praebebat, maxima tribuitur laus, famam nux vomica nacta est. Alibert, Sandras, Bailly, strychnio solo adhibito, in hoc quidem morbo ejus utilitatem diffitentur; nihilominus in ultimis stadiis, praecipue affectionibus abdominis nervosis adhuc reliquis, multum de ea jure potest expectari. — In multis etiam diarrhoeae e. g. in biliosa, mucosa, cruenta diarrhoea, si a causa dinamica proficiscuntur, speciebus Horn ****) saluberrimos observabat effectus. — In febribus intermittentibus curandis, ubi propter vim systema gangliorum alterantem sine dubio non parvi est, hoc tempore injuria negligitur. Jam Ludovici †) chinae ipsi eam anteponebat, Büchner ††), Junghans, Tillaeus etiam atque etiam commendant. — Quam utilem in hypochondria, hysteria, cardialgia, pyrosi cet. a majoribus nostris celebratam Horn multis exemplis comprobavit. — Quamvis Alston †††) et Mur-

*) Vetensk. Acad. Handb. 1773. p. 301.

**) Murray, app. med.

***) Hufel. Journ. B. 1. p. 76.

****) Horn, Archiv für mediz. Erfahr. 1810. 3. B. p. 241.

†) Pharmac. pod. secul. accommodat. In operib. p. 113.

††) Dispensator. Boruss.-Brandenburg. ed. ab Ernest. Fagin. Augustan. p. 56.

†††) Mater. med. Tom. 2. p. 41.

ay*) maniacis grana duo ad octo nucis vomicae omnium conciliasse, opiatibus antea frustra tentatis, effirment, in mania tamen, quia minus cerebrum efficit, parum proficiat. — Contra epilepsiam, choream St. Viti, catalepsiam cet. crebro a medulla spinali et systemate gangliorum exeuntes hoc remedium utilissimum nonnunquam esse, nobis est persuasum.

§. 7.

Illa, de qua jam §. 5. diximus, observatione nismus Magendie primus, nucem vomicam in multis morbis a medulla spinali profectiis utilem forsitan fore, coniunctus est. Medici bene conscii, quam parum medicamentorum vel efficacissima his morbis gravissimis et pertinacissimis depellendis saepe inserviant, eam fugientes promptissime hoc a Magendie dictum experimentis examinabant. Prae ceteris una morborum classis, paralyseis scilicet, in depressa systematis nervosi actione positae, usui ejus accommodatissima esse videbatur, atque experientia, multas species ea posse sanari docebat.

Fouquier**), cui multorum aegrotorum affectionibus paralyticis laborantium tractandorum nucisque vomicae in partes resolutas virium observandarum occasio erat data, apud alios post horam fere dimidiam, apud alios post nonnullas demum horas tanquam priores effectus signa, dosi minore, musculorum solum paralyticorum, dosi majore, omnium voluntati ob-

*) Appar. med. Vol. I. p. 483.

**) Mediz. Chirurg. Zeitung 1818. p. 153.

noxiorum spasmos tonicis comparuisse narrat. Omne trunci musculos eodem gradu, minus, ut videretur diaphragma, affectos, extremitates superiores flexas inferiores extensas esse solitas; quem tetanum artificialem, artus, quo magis motu sensuque orbatos, eo magis arripientem, aegrotis non solum non molestias, sed potius sensum quemdam jucundum commovisse; interdum quidem artuum concussiones dolorificas celeriter transeuntes, neque motu, neque ulla alia causa emissas, aegrotos irruisse, sed tactum, motum, calorem auctum remedium efficax et utile comprobasse; appetitum meliorem, alvi obstructionem, magnis dosibus praebitis, loquelam difficilem, dispnoeam, dysphagiam, dysuriam reddidisse nucem vomicam. — Omnia symptomata apud alios aegrotos dosibus minoribus apud alios majoribus evocata plures horas aut ad alterum usque diem permansisse. Ex decem aegrotis quatuor perfecte, duos imperfecte curavit.

In partibus resolutis, motibus spasticis solum correptis, Magendie nuce vomica usus formicationem quamdam et deinde sudorem animadvertibat. In hemiplegia malum latus modo, latere sano inquiescente, afficiebatur. Nonnunquam etiam exanthema proprium, cujus nihil in latere sano aderat, erumpebat, aut unum linguae latus amaro, alterum naturali sapore omnia sentiebat. Dosibus auctis, lateri utrique, impari autem modo, spasmi incidebant, tantumque vehementiae gradum adipiscebantur, ut aegroti interdum e lectulo ejicerentur. Insignes effectus in omnibus paralysis speciebns et universalium et partialium, in

maxima genitalium debilitate, in organorum digestio-
nis torpore, in atrophia extremitatum superiorum et
inferiorum observavit.

At, quamquam haec aliaque ab Assalin, Briche-
au Husson cet. instituta experimenta omnes quo-
undam de nuce vomica contra aliquot paralyisium
formas utili dubitationes sustulerunt, res denuo, strych-
nico in ea invento, medicorum attentionem in se con-
vertit. Quod quidem alkali multi alii, initio propter
in corpus animale energiam ab usu deterriti, post-
quam Magendie primus corpori humano id inferre
conatus hominem musculorum debilitate laborantem,
octo diebus praeterlapsis, grano quadrante strychnii pro-
posi meliorem reddidit, pluribus in diversis, prae-
cipue quae in atonia et torpore nervorum constant,
affectionibus prospere adhibebant.

Praesertim memoranda sunt experimenta, quibus
Andral*) strychnii vim in hujusmodi morbis exqui-
sitabat. Strychnium purissimum, omni brucinio, quod
Pelletier a primo fugerat, liberatum, in pilulis par-
tem duodecimam aut sextam grani continentibus prae-
bebat. Haec sunt exempla:

Pictor quidam, pluries jam colica saturnina ten-
tus, ex mense fere uno extensorum manuum paralyti-
cum, quam, qui multum plumbi praeparatis occupantur,
sepiissime incidunt, laborabat. Multis medicamentis,
internis et frictionibus irritantibus, frustra adhi-
tis, tempore matutino et vespertino pilulam grani
duodecimam partem strychnii continentem per dies

*) Magendie Journal de physiologie. Juillet 1823.

quatuor assumebat. Primum in manuum extensoribus tremor dolorificus, duabus deinde pilulis usurpatis, extensorum digitorum contractiones, quibus digiti vehementer ad manus dorsum reflecti sunt, spasticae, levesque extremitatum convulsiones exoriebantur. Post hebdomades nonnullas, dosibus iisdem eodemque modo repetitis, debilitas e manibus ceserat. — Apud alium hominem eodem morbo idem fere tempus laborantem una pilula (Gr. $\frac{1}{12}$) trismum exiguum tetanumque, quum musculorum extremitatum, tum abdominis et nuchae, evocavit. Eandem dosin postero die iteratas contractiones spasticae modo extremitatum secutae sunt. Dosi ad duas pilulas aucta quatuordecim diebus post paralyisi erat liberatus. — Homini ex eadem causa paralyisi affecto, cui dosis grani unius strychnii demum contractiones excitaverat, nihil expediit. — Apud alium una pilula usum, trismo primum observato, postero die eadem dosis fuit sine ullo effectu, quam ob rem, ut postremum partem grani tertiam strychnii assumat, coactus est. Paralysis diminuebatur. — Figulus quidam, dosi infra dies duodecim ad granum aucta, facilibus tantum contractionibus turbatus, hanc dosin transgressus in tetanum, quo retrorsum retractum est caput, delapsus est. Eventus, aegroto vim vehementissimam verito remedium respuente, in suspensio manebat. — Hemiplegia hominis, medicamentis et internis et cauterisatione in regione lumbali nequidquam oppugnata, hujus remedii usu ingravescebat; parte tertia grani enim sumpta, aegrotus doloribus in regione maxillari vehementissimis extremitatumque

inferiorum rigiditate vexabatur. — Hemiplegia alius hominis, ab apoplexia priore residua, strychnio in partem pejorem versa est; pars duodecima grani strychnii jam tetanum artuum resolutorum procreabat, et, remedio die postero adeo seposito, cephalaea molestissima eum torquebat. Ex quibus multisque aliis symptomatis Andral, encephalomalaciam adesse opinari, argumentatus est, interrogatque, num forte hoc in casu strychnium circa encephali locum, quem antea apoplexia obsederat, inflammationis incipientis causam dederit.

Praeferamus jam aliquot exempla ab Andral narrata, quae brucinii, quo pauci medici usi sunt, cum strychnii simillimam in iisdem morbis, in quibus hoc multum valet, convincunt. Magendie, prosperum eventum duobus in casibus atrophiae brachii humerisque brucinum adduxisse, breviter annotat; Andral antehac in animalibus hujus substantiae vim exploratus ex iisque suspicatus, granum dimidium pro simili symptomata ullius periculi hominibus non esse putaturum, accuratius hac de re loquitur. Pilulae singulae granum dimidium continentes aegrotis praebebat. Hos vide effectus.

Colorum tritor, cui a duobus mensibus manus tantum paralyticae, nullo effectum unam assumsit pilulam, duae brachiorum convulsiones maxime exiguae, quatuor contractiones satis fortes protruderunt. Conalescebat. — Paralysis manuum alius colorum tritoris, granis quatuor et dimidio demum molestis foricationibus in brachiis, quinque granis convulsionibus vehementibus elicitis, in melius mutata est. —

Dosi granorum duorum apud pictorem manibus paralyticum, summo trismi gradu exorto, ad salutem reditus fere non animadversus est. — Alii homini plumbo venenato et inde paralytico, cui dosis granorum trium et dimidii rigiditatem tetanicam et in brachiis et in cruribus excitaverat, auxilio brucinum non fuit. — Homo paraplegia laborans dosi granorum duorum usus de dolore in pedum plantis et de contractionibus extremitatum inferiorum vehementissimis conquerebatur. Malum non est sublatum.

Tempore recentiori, quo ars medica, rebus physicis atque chemicis magis magisque excultis, multisque medicamentis repertis, quadam ratione mirabiliter profecit, etiam nonnulli medici remedia, vi vehemente insignia, organismo, quomodo usque eo non erat factum, inferre tentabant. Quo imprimis methodus endermatica, a Lesieur et Lemberg exercita, cujus in posterum magna est spes, referenda est. Remediis ab illis secundum hanc methodum adhibitis adnumeranda est strychnium, cujus in morbis paralyticis usurpati duos collocat effectus Lemberg: localem et universalem. Bene pulverisatum cutem ab epidermide vesicatorio denudatam irritat et dolorem pungentem ac profusam suppurationem efficit. Universalis effectus in tactus et motus organis simulque in vasis se manifestat. Maximam partem, duabus horis post applicationem praeterlapsis, concussiones cum cephalaea lateris, cui strychnium erat applicatum, apparent. Qui effectus, sex usque ad duodecim horas continuati, artuum rigorem saepissime relinquunt, animum autem graviter nunquam

perturbant. Noctu convulsiones validiores, circulatio sanguinis accelerata, partes resolutae calidiores magisque transpirantes.

Eadem fere symptomata Richter *) apud homines paralyticos in nosocomio caritatis Berolinensi ab ipso curatos observavit. Strychnio puro subtilissime pulverisato cuti ab epidermide denudatae applicato, primum pruritus ardorque excitabatur, post horam illimidiā calorem a loco applicationis super totum corpus se diffundentem, quem postremum transpiratio copiosa sequebatur, aegrotus sentiebat. Omnes fere aegroti tempore vespertino et nocturno in parvis imprimis resolutis convulsionibus, quae suscitabant dormientes, turbabantur. Saepe cephalaea, nausea, vomitiones, pulsus, transpiratione aucta, frequentior, semper alvi obstructio, raro urinae emittendae difficultates, nunquam cerebri affectiones adeant. Haec paucis sunt effectus exempla:

Mulier hysterica, aphonia paralytica e causa rheumatica laborans, post dies novem convaluit. Alia paralyti extremorum inferiorum aliisque tabis dorsalibus symptomatis affecta, postquam inutiliter longum tempus ter quotidie quindecim nucis vomicae trana assumsit, etsi dosis a grano dimidio ad duo et dimidium erat aucta, in meliorem statum non transiit. Homo extremitatibus superioribus et inferioribus paralyticus per sex hebdomades curabatur. Strychnio in nucha, brachiis, femoribus usque ad trana tria applicato, brachium dextrum satisbene, si-

*) Diss. inaugural. de methodo endermatica. Berl. 1829.

nistrum promptissime et sine tremore extendere valebat. Quum hic aegrotus ex alto loco decidisset, Richter, ansam morbi impedimentum mechanicum in canali vertebrali esse, credit; medullae spinalis concussionem inflammationem chronicam ejus membranorum fortasse ortam esse, quae in exsudationem conversa, compressione functiones medullae perturbet. Apud hominem manibus paralyticum post colicam saturninam auxilium animadvertit. Duobus viris, alteri tabe dorsali, alteri paralysi extremitatum inferiorum, pollutionibus orta, et mulieri hemiplegia, cujus causa fuit apoplexia nervosa, affectis nihil utilitatis attulit.

Haec ad omnem de nucis vomicae contra affectiones paralyticas praestantia dubitationem e medio tollendam suppeditare mihi videntur. Veruntamen, ut fieri solet, medicamento detecto, aut contra morbum primo laudato, ab aliis plus aequo in omnibus paralysibus praedicata, ab aliis, ut a Dupan et Larrey *) hujus remedii usu paralyticos aliosque systematis nervosi qualescunque morbos semper deteriores fieri censentibus, rejecta est nux vomica. Ad quas opiniones inter se valde discrepantes recte ponderandas, affectiones paralyticas esse symptomata diversissimarum systematis nervosi perturbationum, quae, ut illa removeantur, sua quaeque remedia postulent, cogitari tantum debet. Quum jam singula remedia suum proprium habeant, neque unum omnibus illis perturbationibus respondeat, nucem vomicam in aliis casibus

*) v. Froriep's Notizen 1. B. N. 21, p. 336.

saluberrimam, in aliis inutilem, in aliis adeo maxime
 obnoxiam se praebet, necesse esse, facile est intellectu.
 Experimenta enim physiologica, de quibus supra di-
 ximus, nucem vomicam, cerebrum fere haud afficien-
 tem, in medullam spinalem effectum incitantem exer-
 cere, docuerunt, ex quo, eam praecipue modo vim
 habere sanandarum paralysium, quae symptomata
 sint vitalitatis diminutae, aut medullae spinalis ipsius,
 aut nervorum, qui inde ducunt originem, satis patet.
 Ex his causis nihil paralysibus offert utile, quae
 ex vitiis proficiscuntur cerebri e. g. ex apoplexiis.
 Num vero hemiplegiae ex his exortae nucis vo-
 micae usu sint sublatae, ut dicunt, quum interdum
 sine ullo medicamine evanescent, in dubio versatur.
 Affectionibus paralyticis statu incitationis medullae
 spinalis genitis e. g. myelitide, non solum non pro-
 dest, sed potius nocet; sin autem, inflammatione
 oppressa, materiis exsudatis sustinentur, fortasse fe-
 liciter, quod idem de ortis causa rheumatica valet,
 ad processum resorptionis adjuvandum potest adhiberi.
 Paraplegiae tabis dorsalis comites nec non para-
 lyses, quae ex onania et excessibus in Venere eve-
 niunt, atque in torpore quodam, concussione*) me-
 dullae spinalis propria exorto, sitae esse videntur, haud
 dubie nuce vomica meliores redduntur. Plurimum ta-
 men, ut exempla ostendunt, in paralysibus partiali-
 bus, organis centralibus integris, harumque quidem
 praesertim, quibus homines, multum plumbi praepa-
 ratis occupati, sunt obnoxii.

*) P. Olivier über das Rückenmark und seine Krank-
 heiten, mit Zusätzen von Radius, Leipz. 1824.

§. 8.

Praeparata pharmaceutica, quibus uti solemus, haec sunt: Pulvis nucum vomicarum. Alias propter tenacitatem, ut facilius in pulverem possent redigi, torrebantur*), sed quum hac re earum materia extractiva in succis gastricis insolubilior fiat, redula tantum comminuantur, necesse est. Quod attinet dosin, cum granis duobus, bis quotidie repetitis, initium faciendum est, sensim sensimque autem dosis usque ad effectum quaesitum, nonnunquam grana quatuordecim petentem, augetur. — Extractum nucis vomicae. Discernenda sunt extr. aquos. et spirituos.***) Ad prius praeparandum semina raspata infundenda et digerenda***), non coquenda sunt. Infusum hac ratione effectum leni igne ad pilularum spissitudinem redigitur. Ad extr. spirituos. obtinendum Magendie praescribit, ut nucs vomicae, quotvis, cum alcohol, quoad nihil amplius extrahitur, digerantur, deinde liquores expressi et colati ad extracti consistentiam evaporentur. Si hoc in aqua solutum colatur et in vasis porcellaneis, ut extr. chin. sicc., inspissatur, extr. spirituos. siccum, a Magendie etiam propositum, obtinetur. — Tinctura digestionem unctiae unius nucum vomicarum cum unciis quatuor spiritus vini solet praeparari. Magendie praeterea tincturam, cujus unctia grana tria extr. spirituos. sicc. continet, ad frictiones externas laudat. — Strychnium

*) Trommsdorff's Journ. V. 1. p. 38.

**) Pharmacopoea Borussica edit. quint. p. 175.

***) Voigtel's Arzneimittellehre. V. 2. p. 261.

nitricum. — Strychnio puro Magendie utitur aut in pilulis aut in tinctura, in cujus uncia una tria grana strychnii insunt, aut in hac potione: Recip. Aquae destillatae uncias duas, Strychnii purissimi granum unum, Sacchari albi drachmas duas, Acidi acetici guttas duas. S. Tempore matutino et vespertino cochlear. —

Narratiuncula morbi hominis tabe dorsali laborantis atque effectus in eo nucis vomicae.

Fr. P. XLV. annos natus, a parentibus sanis ortus ipseque aliquando constitutionis bonae firmaeque, aetate puerili morbis, nisi apud infantes solitis, non vexabatur. Septimo decimo aetatis anno, quum nomen dedit militiae, laboribusque expeditionis unius nec non typho contagioso esset perfunctus, duo accepit vulnere, alterum ictu teli ignivomi inflicto in femore sinistro mox consanuit, neque ullum reliquit incommodum; alterius in regione occipitali sclopeti umbone illati, symptomatis periculosis non ingressis, curationem non habuit. Quod vulnus quidem fere totum cicatrice obductum est, in loco tamen parvo crusta se formavit, quae plures per annos decidit, se regeneravit, post sex annos omnino evanuit. Eodem circiter tempore, molestiis ac refrigerationibus die noctuque expositus, capitis dolore affectus est

tam vehementi, ut mentis fere non compos esset. Postquam unum per diem duravit, in aure dextra crepitum, quasi globulus prope eam emitteretur e sclopeto, subito percepit, quo facto copia fluidi aquosi, colore subflavo ex ea profluit. Antea in externis auris partibus nihil esse animadversum, sed liquor ex alto dicitur emersisse. Qui capitis dolores intra duos annos ter regressi profluvio ex aure dextra semper levabantur, neque unquam postea redierunt. A. MDCCCXIV affectione pedum rheumatica correptus est, quae eos quidem aliquantum immobiles reddidit, sex autem hebdomadibus praeterlapsis, medicamentis aptis tractata recessit. Psora, qua paucis ante annis laboraverat, intra tres hebdomades in itinere medicaminibus quum internis tum externis sanata est. Pneumonia gravissima, quae A. MDCCCXX eum oppressit, post dies quatuordecim, venaesectionibus novem factis, omnino est remota. Ante hos annos octo prima apparuerunt haemorrhoidum molimina apud aegrotum, quae, doloribus in regione ossis sacri praetereuntibus alvi-que obstructione, qua sanguinis congestiones nonnunquam adducebantur, exceptis, magnas secum non ferebant molestias.

Mense Majo A. MDCCCXXVIII aegrotus auxilium a Regio Instituto Policlinico jam petiit propter affectionem ventriculi spasticam nec non molimina haemorrhoidalia, quibus hirudinum applicatio vaporarionumque, profluviis sanguinis mucique saepius repetitis, aliquid attulerunt levaminis. Neque praetermittendum est, hoc fere tempore pedum sudores, qui diu jam aderant, cessasse, neque ulla ratione potuisse

restitui. Paulo post de debilitate quadam molestissima et extremitatum inferiorum et brachii sinistri, quacum spasmi proprii sensus mox se conjungebat, conquerebatur.

Quod vitae rationem aegroti attinet, neque unquam in Venere nec Baccho evagatum, tres et viginti annos natum primum exercuisse coitum, usque eo neque immoderate pollutionibus nocturnis vexatum neque onaniae fuisse deditum, postea etiam uxori, quam ante annos octo in matrimonium duxit, modice tantum debitum conjugale se praestitisse, quidem contendit. Quibus tamen uxor, si ei credere vis, contradicit, aegrotum, asserens, et ante et inter matrimonium Veneris voluptatibus incredibili fere modo esse tradidisse.

Mense Majo A. MDCCCXXX, quo aeger denuo affectionum paralyticarum causa auxilium Instituti Regii Policlinici imploravit, haec aderant symptomata:

a) Paralysis incompleta extremitatum inferiorum et brachii sinistri simul cum contractionibus spasticis, quae eas interillum irruunt, conjuncta. Aegrotus quidem stare et tempus aliquod baculo innisus magno cum labore ere valet; sed tarde, incerte, proprio quodam modo plantam pedis tantum neque digitos in terra ponens, tumque alterum pedem in semicirculum exorsum trahens progreditur, et ambulatiuncula, ut vix se possit sustinere, defatigatur. Brachio sinistro quidem sellae extollendae, sed ejus digito minimo et annulari neque ullius rei comprimendae neque reti-

nendae est facultas. Contractiones spasticae extremitates irregulariter, et die et noctu, cum quotidie pluries, tum post plurium dierum intervalla, tempestate tamen aspera, praesertim ventibus adversis flantibus, crebrius ac vehementius invadunt. Cui contractioni sensus quidam, quasi quid, quod aeger cum aëre comparat tenui, a columna vertebrali se promoveat ad extremos digitos, semper praecurrit. Quae contractio, praecipue flexorum digitorum, nonnulla temporis momenta perdurans, brevibus intervallis praeterlapsis, intra horas complures saepius redit, sensumque frigoris proprium in partibus resolutis relinquit. Quibus factis autem aegrotus melius, quam antea progreditur. Extremitates quidem, quibus se libere movendi copia non deest, non admodum emarcuerunt; sed temperatura in iis aliquantum est comminuta.

b) Excretio urinae perturbata. Tempore matutino aegrotus ardorem sentit vehementissimum, nihilominus tamen urina tantum guttatim vel omnino non profluit, quam demum, exercitationibus modicis usus, in radio et sine magna difficultate potest reddere. Vesica igitur urinaria nonnunquam, urina accumulata, se extendit, ut aegrotus dolore in pelvi premente saepius vexetur, Quod malum ante unum fere annum advenit, et abhinc ultimis mensibus maxime est corroboratum.

c) Functio partium genitalium laesa. Ex tribus ferme annis aegrotus coeundi appetitum, quamvis interdum sit maximus, explere nequit; sperma enim quidem die, aegroto cogitationibus impudicis

indulgente, sed non pollutionibus nocturnis, quae
egantur, et sine ulla penis erectione saepius ef-
unditur.

d) Symptomata haemorrhoidum. Hae-
morrhoides coecae, neque dolores commoventes, ne-
que saepe prodeuntes, partem intestini recti superio-
rem obsidere videntur. Simul tanta ad alvi obstru-
ctionem adest inclinatio, ut nonnisi quarto quintove
die alvus, quacum nullo tempore sanguis, saepissime
mucus profluit, solvatur. — Dolores capitis nunquam,
torsales raro eveniunt, saepius fornicationis sensus
per spinam dorsi apparet. Praeterea torpor quidam
in cute memorari debet, qui efficit, ut, si digitis tan-
gitur, aeger quasi chartam inter cutem et digitos ja-
centem se sentire, putet. Qui autem sensus alienatus,
ad truncum modo neque ad caput collumque perti-
nens, in regione ossis sacri et coccygis ad hunc pervenit
gradum, ut aegrotus, sive residet in rebus duris sive
mollibus, se sedere opinetur in pulvino. Functiones
organorum sensuum neque sunt perturbatae, etiamsi
eorum sensibilitas aliquanto aucta videtur, et oculi
exteri pupilla minus quam alterius in lucem reagit.
Animus liber, memoria, iudicium, intellectus bonus.
Sed magna sensibilitas debilitasque systematis
nervi in universum animadvertitur; res enim tri-
stes, haud ad aegrotum spectantes, eum, ut lacrymas
nequeat tenere, commovent. Pulsus quidem fre-
quentior, quam in statu normali, sed plenus mollis-
sime; ciborum appetitus et somnus, nisi forte aegro-
tus illis affectionibus spasticis torqueatur, optimi.
Quibus ex omnibus symptomatis prolatis, mor-

bum originem ducere e medullae spinalis malo, cui nomen Tabes dorsalis imponitur, jure concludere, licitum est. Prognosin hanc ob rem collocare, fuit difficillimum, quum hic morbus, rebus etiam maxime secundis, valde chronicum certe absolvat decursum. Etiam si, quod causas attinet, ictum in occipitium, ubi etiam nunc cranii impressio, quae, imperialis circuitu, non cedit digito prementi, apparet, affectiones rheumaticas vehementissimas, sudores denique pedum suppressos gravissima esse momenta, negare non possumus; attamen, simul in Venere excessus hoc quoque in casu ad morbum procreandum plurimum attulisse, autumemus.

Prae omnibus praeter diaetam levem sed valentem nux vomica, in quibusdam affectionibus paralyticis a multis laudata, ad usum internum, praesertim, quum aegroto jam antea profuisset, indicata visa atque hoc modo iterum praescripta est: Recip. Pulv. nuc. vomic. drachmam dimidiam, Succ. Liquir. q. s. ut fiant pilulae N. LX. Consperg. pulv. Lycopod. S. Bis quotidie duae pilulae. Jam vero, ut et haemorrhoides respicerentur et obstructiones alvi etiam tum pertinacissimae, aegrotus praeterea accepit: Pulv. aërophor. Pharm. Paup. unciam unam, Lactis sulphur. drachmas duas, Elaeosacch. Foenicul. drachmam unam. M. D. S. Bis quotidie cochlear parvum.

Quibus remediis adhibitis, mensis Junii fine in statum paulo meliorem aegroti valetudo erat translata. Urinae enim alvique excretio facilius conficiebatur, contractiones spasticae usque eo non redierant, ipse gressus aegroti paulo firmior esse videba-

rr. Dosi crescente octo pilulae in diem assume-
antur.

Initio mensis Julii, quum haemorrhoides coecae
ano progressae molestias nonnullas aegroto effice-
rent, hirudines, pulsu insuper pleno duroque, duo-
decim sunt applicatae. Quo facto haec evanuerunt
symptomata. In finem autem hujus mensis alvi ob-
structione affectionesque, quibus febrilis status acces-
erat, ceterae ita increverunt, ut aegroto, qui ex die-
bus sex non solverat alvum, infus. fol. senn. cum na-
stro sulphurico praeberetur, necesse esset. Qua ob-
structione perseverante sublata, aeger pulverem ite-
rum assumebat. Pilularum numerus ad quatuordecim
diem augmentatus est.

Medio mense Augusto, granis quinque nucis vo-
nicae pro dosi usurpatis, primae contractiones spa-
smicae, quae, multo ab iis, quibus aegrotus alioquin
torquebatur, differentes, nihil doloris, sensum imo
quendam jucundum progenuerunt, in partibus solis
resolutis se manifestarunt. Pulveres, quum, obstru-
ctione alvi ingravescente, non amplius sufficerent,
cum pilulis ex sapon. Jalapp., Extr. Aloës et Lact.
sulphur. sunt permutati. Fine mensis remissio ex-
cretionis urinae impeditae praecipue se ostendit; die
minim aegrotus eam facile retinebat, ac reddebat, in-
ter somnum modo guttae nonnullae interdum pro-
debant. Ceteroquin somnus appetitusque ciborum
potatis omnino respondebant.

Mensi Septembri multo melius aegroto in uni-
versum fiebat. Etenim cutis torpor sensim discede-
bat, neque in truncum totum amplius extensus, nisi

ossis sacri et coccygis regionem atque inferiores extremitatum partes non occupabat. Cursu longo non valde defatigabatur aegrotus, pedesque ratione jam magis naturali in terra ponebat. Sin autem in sella sederat, rigorem quendam percipiebat in cruribus, qui, motibus per aliquod tempus factis, mox evanescebat. Ceterum brachii sinistri vis accreverat. Dosis nucis vomicae, ad quindecim grana adaucta, symptomata, quae, quin remedium hoc retineretur, non prohibebant, aliquot propria evocabat. Affectiones enim spasticae, quibus aliquoties e sella, semel adeo e lecto ejiceretur, interdum subito aegrotum aggrediebantur. Animi se compotem tali in impetu semper fuisse posteaque melius se potuisse ambulare dixit. De molestissima praeterea prurigne in cute nec non de quodam, inter usum nucis vomicae nonnunquam observato, celerrime erumpente ac recedente exanthemate conquerebatur.

Quamquam aegrotus grana decem nucis vomicae pro dosi in finem mensis Octobris bis quotidie accipiebat, digestionis tamen organis non erat detrimento. Neque enim ructus rancidi, neque nausea ei obvennerunt, ciborum appetentia potius aucta quam diminuta erat, atque in digestionem vim saluberrimam exercere videbatur nux vomica. Animus porro aegroti, nec excitationibus nec tristitia perturbatus, laetitiae salutisque spei se dabat. Verum sensuum organa quam alias pulsibus externis multo vehementius offendeabantur; quisque strepitus exiguus eum valde deterrebat, ac, si forte milites concentum agentes ei obviam venerant, ad se sustinendum aliquam rem

amplectere cogeatur. Digitorum contactum, horrore
tatum corpus perstringente, molestissime ferebat.

Mense Octobri aegrotus ita sese habebat: Alvi
cretionem, quo magis nucis vomicae pilulae accu-
mulabantur, eo magis ingravescentem remediis adju-
vari oportebat. Torporis sensus in cute nonnisi par-
tem dorsi inferiorem, plantas pedum, extremos ma-
nus sinistrae digitos etiamtum obsidebat. Aegrotus
naturae multo convenientius, neque quoque vacillans
progrediebatur, atque nonnulli gradus depellebant ri-
dorem crurum. Affectiones spasticae, doloribus alias
vehementissimis aegrotum vexantes, jam diu non
erant reversae; nam contractiones in partibus reso-
lutis subito comparere solitae, nec quidquam inju-
mendi afferentes symptoma solum nuce vomica pro-
gnitum videbantur esse habendae. Difficultates uri-
nae retinendae reddendaeque prorsus erant remotae.
neque tamen visus oculi dextri hebetudo in melius
erat mutata, qua re observatio, in affectionibus orga-
norum sensuum paralyticis nihil fere nucem vom-
icum prodesse, comprobatur. Ceterum aegrotus, cor-
poris macie magis magisque deficiente, appetentia
boorum optima, pleno mollique pulsu, plane belle
habebat.

Posteriore tempore dosis nucis vomicae, quum,
si ad grana sex et viginti in diem adaucta, in ex-
tremis contractiones vehementissimae, die no-
nne saepissime reduces, pulsibus externis minimi
momenti, renovarentur et corroborarentur, ructus
incidi, sapor pessimus, obstructio alvi pertinacissima
venirent; quamvis partes resolutae meliores fierent,
symptomata periculosa efficerentur, videbatur esse
minuenda.

V I T A.

Ego, FRIDERICUS GUILIELMUS PRITZKOW, confessioni evangelicae addictus, Berolini die undecimo mens. Novembr. A. MDCCCV. natus sum patre carissimo Christiano Friderico Pritzkow, matre Sophia e gente Schultze, praematura morte mihi erepta.

Primis literarum elementis imbutus Gymnasium Regium Joachimicum Berolinense sex annos et semestre frequentavi, et cum maturitatis testimonio dimissus A. MDCCCXXVI. mens. Octobr. ab Ill. Boeckh t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus et ab Ill. Link t. t. Decano spectabili medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Per tria semestria hisce interfui praelectionibus:

Ill. Knape de osteologia et syndesmologia. — Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia corp. human., comparata, organorum sensuum, de physiologia historiaque naturali entozoorum. — Ill. Link de botanice, historia naturali ac toxicologia. — Ill. Hermbstaedt de chemia experimental. — Ill. Turte de physica. — Ill. Hegel de logica. — Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali. Artem cadavera rite dissecandi Ill. Rudolphi et Ill. Knape me docuerunt.

Tum mens. April. A. MDCCCXXVIII. Vratisla-
m me contuli, ubi ab Ill. Trevirano t. t. Re-
ore Magnifico in civium academicorum numerum
ceptus et ab Ill. Purkinje t. t. Decano spectabili
edicinae studiosis adscriptus per sex menses hasce
sequentavi praelectiones:

Ill. Otto de zoologia. — Ill. Purkinje de
ychologia. — Ill. Goeppert de plantis officinali-
ss. — Ill. Hemprich de magnetismo animali. —
Wendt de morbis chronicis.

Deinde Berolinum redux praeceptores audiui:

Ill. Fr. Hufeland de semiotice nec non de
erapia generali et speciali. — Ill. Rudolphi de
atomia pathologica. — Ill. Link de pharmacolo-
a. — Ill. Osann de materia medica. — Ill. Ca-
er de morbis infantum, de arte formulas medicas
ee concinnandi, de medicina forensi. — Ill. Rust
chirurgia generali et speciali. — Ill. Jüngken
akiurgia et ophthalmologia. — Ill. Kluge de arte
stetricia theoretica et practica.

Denique Ill. Hufeland, de Graefe, Rust,
sann, Busse, Wolf scholis clinicis in praxi me-
za et chirurgica gavisus sum.

Jam vero, superato tentamine philosophico et
edico, nec non rigoroso coram gratioso medicorum
lline examine, spero fore, ut, dissertatione thesi-
isque defensio, summi in Medicina et Chirurgia
mores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Num. mentis perturbatio adsit, nec ne, judicare, soli medico competit.

II.

Ex ullo systemate certo non emanat calor animalis.

III.

Cuivis homini sano semper magis conducit, plus edere et raro, quam minus et crebro.

IV.

In penis amputatione cultro praeferenda est ligatura.



